

Virgil, Aeneid 4

At rēgīna grauī iamdūdum saucia cūrā
uulnus alit uēnīs et caecō carpitur ignī.
multa uirī uirtūs animō multusque recursat
gentis honōs; haerent īfixī pectore uultūs
uerbaque nec placidam membrīs dat cūra quiētem. 5
postera Phoebēā lūstrābat lampade terrās
ūmentemque Aurōra polō dīmōuerat umbram,
cum sīc ūnanimam adloquitur male sāna sorōrem:
‘Anna soror, quae mē suspēnsam īnsomnia terrent!
quis nouus hic nostrīs successit sēdibus hospes, 10
quem sēsē ōre ferēns, quam fortī pectore et armīs!
crēdō equidem, nec uāna fidēs, genus esse deōrum.
dēgenerēs animōs timor arguit. heu, quibus ille
iactātus fātīs! quae bella exhausta canēbat!
sī mihi nōn animō fixum immōtumque sedēret 15
nē cui mē uinclō uellem sociāre iugālī,
postquam prīmus amor dēceptam morte fefellit,
sī nōn pertaesum thalamī taedaeque fuisset,
huic ūnī forsan potuī succumbere culpaē.
Anna (fatēbor enim) miserī post fāta Sychaeī 20
coniugis et sparsōs frāternā caede Penātīs
sōlus hic īnflexit sēnsūs animumque labantem
impulit. agnōscō ueteris uestīgia flammae.
sed mihi uel tellūs optem prius īma dehīscat,
uel Pater omnipotēns adigat mē fulmine ad umbrās, 25
pallentīs umbrās Erebo noctemque profundam,
ante, Pudor, quam tē uiolō aut tua iūra resoluō.
ille meōs, prīmus quī mē sibi iūnxit, amōrēs
abstulit; ille habeat sēcum seruetque sepulcrō.’
sīc effāta sinum lacrimīs implēuit obortīs. 30
Anna refert: ‘ō lūce magis dīlēcta sorōrī,
sōlane perpetuā maerēns carpēre iuuentā,
nec dulcīs nātōs Veneris nec praemia nōris?
id cinerem aut Mānīs crēdis cūrāre sepultōs?
estō: aegram nūllī quondam flexēre marītī, 35
nōn Libyae, nōn ante Tyrō; dēspectus Iarbās
ductōrēsque aliī, quōs Āfrica terra triumphīs
dīues alit: placitōne etiam pugnābis amōrī?
nec uenit in mentem quōrum cōnsēderis aruīs?

hinc Gaetūlae urbēs, genus īnsuperābile bellō, 40
 et Numidae īnfrēnī cingunt et inhospita Syrtis;
 hinc dēserta sitī regiō lātēque furentēs
 Barcaeī. quid bella Tyrō surgentia dīcam
 germānīque minās?
 dīs equidem auspiciibus reor et lūnōne secundā 45
 hunc cursum Īliacās uentō tenuisse carīnās.
 quam tū urbem, soror, hanc cernēs, quae surgere rēgna
 coniugiō tālī! Teucrum comitantibus armīs
 Pūnica sē quantīs attollet glōria rēbus!
 tū modo posce deōs ueniam, sacrīsque litātīs 50
 indulgē hospitiō causāsque innecte morandī,
 dum pelagō dēsaeuit hiems et aquōsus Orīōn,
 quassātaeque ratēs, dum nōn tractābile caelum.’
 hīs dictīs incēsum animum īnflammāuit amōre
 spemque dedit dubiae mentī soluitque pudōrem. 55
 prīncipiō dēlūbra adeunt pācemque per ārās
 exquīrunt; mactant lēctās dē mōre bidentīs
 lēgiferae Cererī Phoebōque patrīque Lyaeō,
 lūnōnī ante omnīs cui uincla iugālia cūrae.
 ipsa tenēns dextrā pateram pulcherrima Dīdō 60
 candentis uaccae media inter cornua fundit,
 aut ante ōra deum pinguīs spatiātur ad ārās,
 īnstauratque diem dōnīs, pecudumque reclūsīs
 pectoribus inhiāns spīrantia cōnsulit exta.
 heu uātum ignārae mentēs! quid uōta furentem, 65
 quid dēlūbra iuuant? ēst mollīs flamma medullās
 intereā, et tacitum uīuit sub pectore uulnus.
 ūritur īnfēlix Dīdō tōtāque uagātur
 urbe furēns, quālis coniectā cerua sagittā,
 quam procul incautam nemora inter Crēsia fixit 70
 pāstor agēns tēlīs līquitque uolātile ferrum
 nescius: illa fugā siluās saltūsque peragrat
 Dictaeōs; haeret laterī lētālis harundō.
 nunc media Aenēān sēcum per moenia dūcit,
 Sīdoniāsque ostentat opēs urbemque parātam; 75
 incipit effārī mediāque in uōce resistit.
 nunc eadem lābente diē conuīuia quaerit,
 Īliacōsque iterum dēmēns audīre labōrēs
 exprocit, pendetque iterum nārrantis ab ōre.
 post ubi dīgressī, lūmenque obscūra uicissim 80

lūna premit suādentque cadentia sīdera somnōs,
 sōla domō maeret uacuā strātisque relictīs
 incubat. illum absēns absentem auditque uidetque,
 aut gremiō Ascanium, genitōris imāgine capta,
 dētinet, īnfandum sī fallere possit amōrem. 85
 nōn coeptae adsurgunt turrēs, nōn arma iuuentūs
 exercet, portūsue aut prōpugnācula bellō
 tūta parant: pendent opera interrupta minaeque
 mūrōrum ingentēs aequātaque māchina caelō.
 quam simul ac tālī persēnsit peste tenērī 90
 cāra louis coniūnx nec fāmam obstāre furōrī,
 tālibus adgreditur Venerem Sāturnia dictīs:
 ‘ēgregiam uērō laudem et spolia ampla refertis
 tūque puerque tuus, magnum et memorābile nūmen,
 ūna dolō dīuum sī fēmina uicta duōrum est! 95
 nec mē adeō fallit ueritam tē moenia nostra
 suspectās habuisse domōs Karthāginis altae.
 sed quis erit modus, aut quō nunc certāmine tantō?
 quīn potius pācem aeternam pactōsque hymenaeōs
 exercēmus? habēs, tōtā quod mente petistī: 100
 ārdet amāns Dīdō trāxitque per ossa furōrem.
 commūnem hunc ergō populum paribusque regāmus
 auspiciīs; liceat Phrygiō seruīre marītō
 dōtālīsque tuae Tyriōs permittere dextrae.’
 ollī (sēnsit enim simulātā mente locūtā, 105
 quō rēgnum Ītalīae Libycās āuerteret ōrās)
 sīc contrā est ingressa Venus: ‘quis tālia dēmēns
 abnuat aut tēcum mālīt contendere bellō,
 sī modo quod memorās factum fortūna sequātur?
 sed fātīs incerta feror, sī Iuppiter ūnam 110
 esse uelit Tyriīs urbem Trōiāque profectīs,
 miscērīue probet populōs aut foedera iungī.
 tū coniūnx, tibi fās animum temptāre precandō.
 perge, sequar.’ tum sīc excēpit rēgia lūnō:
 ‘mēcum erit iste labor. nunc quā ratiōne quod īnstat 115
 cōnfierī possit, paucīs (aduerte) docēbō.
 uēnātum Aenēās ūnāque miserrima Dīdō
 in nemus īre parant, ubi prīmōs crāstinus ortūs
 extulerit Tītān radiīsque retēxerit orbem.
 hīs ego nigrantem commixtā grandine nimum, 120
 dum trepidant ālae saltūsque indāgine cingunt,

dēsuper īfundam et tonitrū caelum omne ciēbō.
 diffugient comitēs et nocte tegentur opācā:
 spēluncam Dīdō dux et Trōiānus eandem
 dēuenient; aderō, et tua sī mihi certa uoluntās, 125
 cōnubiō iungam stabilī propriamque dicābō,
 hic hymenaeus erit.’ nōn aduersāta petentī
 adnuit atque dolīs rīsīt Cytherēa repertīs.
 Ōceanum intereā surgēns Aurōra reliquit.
 it portīs iubare exortō dēlēcta iuuentūs; 130
 rētia rāra, plagae, lātō uēnābula ferrō,
 Massy lique ruunt equitēs et odōra canum uīs.
 rēgīnam thalamō cūctantem ad līmina prīmī
 Poenōrum exspectant, ostrōque īsignis et aurō
 stat sonipēs ac frēna ferōx spūmantia mandit. 135
 tandem prōgreditur, magnā stīpante cateruā,
 Sīdoniam pictō chlamydem circumdata limbō.
 cui pharetra ex aurō, crīnēs nōdantur in aurum,
 aurea purpuream subnectit fībula uestem.
 nec nōn et Phrygīi comitēs et laetus lūlus 140
 incēdunt. ipse ante aliōs pulcherrimus omnīs
 īnfert sē socium Aenēās atque agmina iungit.
 quālis ubi hībernam Lyciam Xanthīque fluenta
 dēserit ac Dēlum māternam inuīsīt Apollō
 īnstauratque chorōs, mixtīque altāria circum 145
 Crētēsque Dryopēsque fremunt pictīque Agathyrīs;
 ipse iugīs Cynthī graditur, mollīque fluentem
 fronde premit crīnem fingēns atque implicat aurō;
 tēla sonant umerīs: haud illō sēgnior ībat
 Aenēās, tantum ēgregiō decus ēnitēt ōre. 150
 postquam altōs uentum in montīs atque inuia lustra,
 ecce ferae saxī dēiectae uertice caprae
 dēcurrēre iugīs; aliā dē parte patentīs
 trānsmittunt cursū campōs atque agmina ceruī
 puluerulenta fugā glomerant montīsque relinquunt. 155
 at puer Ascanius mediīs in uallibus ācrī
 gaudet equō iamque hōs cursū, iam praeterit illōs,
 spūmantemque darī pecora inter inertia uōtīs
 optat aprum, aut fuluum dēscendere monte leōnem.
 intereā magnō miscērī murmure caelum 160
 incipit; īnsequitur commixtā grandine nimbus;
 et Tyrīi comitēs passim et Trōiāna iuuentūs

Dardaniusque nepōs Veneris dīuersa per agrōs
tēcta metū petiēre; ruunt dē montibus amnēs.
spēluncam Dīdō dux et Trōiānus eandem 165
dēueniunt: prīma et Tellūs et prōnuba lūnō
dant signum; fulsēre ignēs et cōnsciūs aethēr
cōnubiīs, summōque ululārunt uertice nymphae.
ille diēs prīmus lētī prīmusque malōrum
causa fuit; neque enim speciē fāmāue mouētur 170
nec iam fūrtiuū Dīdō meditātur amōrem:
coniugium uocat, hōc praetexit nōmine culpam.
extemplō Libyae magnās it Fāma per urbēs,
Fāma, malum quā nōn aliud uēlōcius ūllum:
mōbilitāte uiget uīrēsque adquirit eundō, 175
parua metū prīmō, mox sēsē attollit in aurās
ingrediturque solō et caput inter nūbila condit.
illam Terra parēns irā inrītāta deōrum
extrēmam, ut perhibent, Coeō Enceladōque sorōrem
prōgenuit pedibus celerem et pernīcibus ālīs, 180
mōnstrum horrendum, ingēns, cui quot sunt corpore plūmae
tot uigilēs oculī subter (mīrābile dictū),
tot linguae, totidem ōra sonant, tot subrigit aurīs.
nocte uolat caelī mediō terraeque per umbram
strīdēns, nec dulcī dēclīnat lūmina somnō; 185
lūce sedet custōs aut summī culmine tēctī
turribus aut altīs, et magnās territat urbēs,
tam fictī prāuīque tenāx quam nūntia uērī.
haec tum multiplicī populōs sermōne replēbat
gaudēns, et pariter facta atque īnfecta canēbat: 190
uēnisse Aenēān Trōiānō sanguine crētum,
cui sē pulchra uirō dignētur iungere Dīdō;
nunc hiemem inter sē luxū, quam longa, fouēre
rēgnōrum immemorēs turpīque cupīdine captōs.
haec passim dea foeda uirum diffundit in ōra. 195
prōtinus ad rēgem cursūs dētorquet Iarbān
incenditque animum dictīs atque aggerat irās.
hic Hammōne satus raptā Garamantide nymphā
templa louī centum lātīs immānia rēgnīs,
centum ārās posuit, uigilemque sacrāuerat ignem, 200
excubiās dīuum aeternās, pecudumque cruōre
pingue solum et uariīs flōrentia līmina sertīs.
isque amēns animī et rūmōre accēnsus amārō

dīcitur ante ārās media inter nūmina dīuum
multa louem manibus supplex ōrāsse supīnīs: 205
‘Iuppiter omnipotēns, cui nunc Maurūsia pictīs
gēns epulāta torīs Lēnaeum lībat honōrem,
aspicis haec? an tē, genitor, cum fulmina torquēs,
nēquīquam horrēmus, caecīque in nūbibus ignēs
terrificant animōs et inānia murmura miscent? 210
fēmina, quae nostrīs errāns in finibus urbem
exiguam pretiō posuit, cui lītus arandum
cuique locī lēgēs dedimus, cōnūbia nostra
reppulit, ac dominum Aenēān in rēgna recēpit.
et nunc ille Paris cum sēmiuirō comitātū, 215
Maeoniā mentum mitrā crīnemque madentem
subnexus, raptō potitur: nōs mūnera templīs
quippe tuīs ferimus fāmamque fouēmus inānem.’
tālibus ōrantem dictīs ārāsque tenentem
audiit Omnipotēns, oculōsque ad moenia torsit 220
rēgia et oblītōs fāmae meliōris amantīs.
tum sīc Mercurium adloquitur ac tālia mandat:
‘uāde age, nāte, uocā Zephyrōs et lābere pennīs
Dardaniumque ducem, Tyriā Karthāgine quī nunc
exspectat fātisque datās nōn respicit urbēs, 225
adloquere et celerīs dēfer mea dicta per aurās.
nōn illum nōbīs genetrīx pulcherrima tālem
prōmīsīt Grāiumque ideō bis uindicat armīs;
sed fore quī grauidam imperiīs bellōque frementem
Ītaliā regeret, genus altō ā sanguine Teucrī 230
prōderet, ac tōtum sub lēgēs mitteret orbem.
sī nūlla accendit tantārum glōria rērum
nec super ipse suā mōlītur laude labōrem,
Ascaniōne pater Rōmānās inuidet arcēs?
quid struit? aut quā spē inimicā in gente morātur 235
nec prōlem Ausoniam et Lāuīnia respicit arua?
nāuiget: haec summa est; hic nostrī nūntius estō.’
dīxerat. ille patris magnī pārēre parābat
imperiō; et prīmum pedibus tālāria nectit
aurea, quae sublīmem ālīs sīue aequora suprā 240
seu terram rapidō pariter cum flāmine portant;
tum uirgam capit: hāc animās ille ēuocat Orcō
pallentīs, aliās sub Tartara trīstia mittit,
dat somnōs adimitque, et lūmina morte resignat.

illā frētus agit uentōs et turbida trānat 245
 nūbila; iamque uolāns apicem et latera ardua cernit
 Atlantis dūrī, caelum quī uertice fulcit,
 Atlantis, cinctum adsiduē cui nūbibus ātrīs
 pīniferum caput et uentō pulsātur et imbrī;
 nix umerōs īnfūsa tegit, tum flūmina mentō 250
 praecipitant senis, et glaciē riget horrida barba.
 hīc pīmum paribus nītēns Cyllēnius ālīs
 cōnstitit; hinc tōtō praeceps sē corpore ad undās
 mīsīt auī similis, quae circum lītora, circum
 piscōsōs scopulōs humilis uolat aequora iuxtā. 255
 haud aliter terrās inter caelumque uolābat
 lītus harēnōsum ad Libyaē, uentōsque secābat
 māternō ueniēns ab auō Cyllēnia prōlēs.
 ut pīmum ālātīs tetigit māgālia plantīs,
 Aenēān fundantem arcēs ac tēcta nouantem 260
 cōnspicit; atque illī stellātus iaspide fuluā
 ēnsis erat, Tyriōque ārdēbat mūrīce laena
 dēmissa ex umerīs, dīues quae mūnera Dīdō
 fēcerat, et tenuī tēlās discrēuerat aurō.
 continuō inuādit: ‘Tū nunc Karthāginis altae 265
 fundāmenta locās, pulchramque uxōrius urbem
 extruis, heu rēgnī rērumque oblīte tuārum?
 ipse deum tibi mē clārō dēmittit Olympō
 rēgnātor, caelum ac terrās quī nūmine torquet,
 ipse haec ferre iubet celerīs mandāta per aurās: 270
 quid struis? aut quā spē Libycīs teris ōtia terrīs?
 sī tē nūlla mouet tantārum glōria rērum,
 nec super ipse tuā mōlīris laude labōrem,
 Ascanium surgentem et spēs hērēdis Iulī
 respice, cui rēgnum Ītalīae Rōmānaque tellūs 275
 dēbētur.’ tālī Cyllēnius ōre locūtus
 mortālīs uīsūs mediō sermōne relīquit
 et procul in tenuem ex oculīs ēuānuit auram.
 at uērō Aenēās aspectū obmūtuit amēns,
 arrēctaeque horrōre comae, et uōx faucibus haesit. 280
 ārdet abīre fugā dulcīisque relinquere terrās,
 attonitus tantō monitū imperiōque deōrum.
 heu quid agat? quō nunc rēgīnam ambīre furentem
 audeat adfātū? quae pīma exordia sūmat?
 atque animum nunc hūc celerem, nunc dīuidit illūc, 285

in partisque rapit uariās perque omnia uersat.
 haec alternantī potior sententia uīsa est:
 Mnēsthea Sergestumque uocat fortemque Serestum,
 classem aptent tacitī sociōsque ad lītora cōgant,
 arma parent et, quae rēbus sit causa nouandīs, 290
 dissimulent; sēsē intereā, quandō optima Dīdō
 nesciat et tantōs rumpī nōn spēret amōrēs,
 temptātūrum aditūs, et quae mollissima fandī
 tempora, quis rēbus dexter modus. ōcius omnēs
 imperiō laetī pārent ac iussa facessunt. 295
 at rēgīna dolōs (quis fallere possit amantem?)
 praesēnsit, mōtūsque excēpit prīma futūrōs,
 omnia tūta timēns. eadem impia Fāma furentī
 dētulit armārī classem cursumque parārī.
 saeuit inops animī, tōtamque incēnsa per urbem 300
 bacchātur, quālis commōtīs excita sacrīs
 Thēias, ubi audītō stimulant trietērica Bacchō
 orgia, nocturnusque uocat clāmōre Cithaerōn.
 tandem hīs Aenēān compellat uōcibus ultrō:
 ‘dissimulāre etiam spērāstī, perfide, tantum 305
 posse nefās, tacitusque meā dēcēdere terrā?
 nec tē noster amor, nec tē data dextera quondam,
 nec moritūra tenet crūdēlī fūnere Dīdō?
 quīn etiam hībernō mōlīrī sīdere classem
 et mediīs properās Aquilōnibus ire per altum, 310
 crūdēlis? quid? sī nōn arua aliēna domōsque
 ignōtās peterēs, et Trōia antīqua manēret,
 Trōia per undōsum peterētur classibus aequor?
 mēne fugis? per ego hās lacrimās dextramque tuam tē
 (quandō aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliquī) 315
 per cōnūbia nostra, per inceptōs hymenaeōs,
 sī bene quid dē tē meruī, fuit aut tibi quicquam
 dulce meum, miserēre domūs lābentis, et istam,
 ōrō, sī quis adhūc precibus locus, exue mentem.
 tē propter Libycae gentēs Nomadamque tyrannī 320
 ōdēre, infēnsī Tyriī; tē propter eundem
 extīnctus pudor et, quā sōlā sīdera adībam,
 fāma prior. cui mē moribundam dēseris, hospes
 (hoc solum nōmen quoniam dē coniuge restat)?
 quid moror? an mea Pygmalīōn dum moenia frāter 325
 dēstruat, aut captam dūcat Gaetūlus Iarbas?

saltem sī qua mihī dē tē suscepta fuisset
 ante fugam subolēs, sī quis mihi paruulus aulā
 lūderet Aenēās, quī tē tamen ōre referret,
 nōn equidem omnīnō capta ac dēserta uidērer.’ 330
 dīxerat. ille louis monitīs immōta tenēbat
 lūmina et obrīxus cūram sub corde premēbat.
 tandem pauca refert: ‘ego tē, quae plūrima fandō
 ēnumerāre ualēs, numquam, rēgīna, negābō
 prōmeritam, nec mē meminisse pigēbit Elissae, 335
 dum memor ipse meī, dum spīritus hōs regit artūs.
 prō rē pauca loquar. neque ego hanc abscondere fūrtō
 spērāuī (nē finge) fugam, nec coniugis umquam
 praetendī taedās aut haec in foedera uēnī.
 mē sī fāta meīs paterentur dūcere uītam 340
 auspiciīs et sponte meā compōnere cūrās,
 urbem Trōiānam prīmum dulcīsque meōrum
 rēliquiās colerem, Priamī tēcta alta manērent,
 et recidiua manū posuissem Pergama uictīs.
 sed nunc Ītaliā magnam Gr̄y nēus Apollō, 345
 Ītaliā Lyciae iussēre capessere sortēs;
 hic amor, haec patria est. sī tē Karthāginis arcēs,
 Phoenīssam, Libycaeque aspectus dētinet urbis,
 quae tandem Ausoniā Teucrōs cōnsīdere terrā
 inuidia est? et nōs fās extera quaerere rēgna. 350
 mē patris Anchīsae, quotiēns ūmentibus umbrīs
 nox operit terrās, quotiēns astra ignea surgunt,
 admonet in somnīs et turbida terret imāgō;
 mē puer Ascanius capitisque iniūria cārī,
 quem rēgnō Hesperiae fraudō et fātālibus aruīs. 355
 nunc etiam interpres dīuum loue missus ab ipsō
 (testor utrumque caput) celerīs mandāta per aurās
 dētulit: ipse deum manifēstō in lūmine uīdī
 intransent mūrōs uōcemque hīs auribus hausī.
 dēsine mēque tuīs incendere tēque querēlīs: 360
 Ītaliā nōn sponte sequor.’
 tālia dīcentem iamdūdum āuersa tuētur
 hūc illūc uoluēns oculōs tōtumque pererrat
 lūminibus tacitīs et sīc accēnsa profātur:
 ‘nec tibi dīua parēns, generis nec Dardanus auctor, 365
 perfide, sed dūrīs genuit tē cautibus horrēns
 Caucasus Hyrcānaeque admōrunt ūbera tigrēs.

nam quid dissimulō aut quae mē ad maiōra reseruō?
 num flētū ingemuit nostrō? num lūmina flexit?
 num lacrimās uictus dedit aut miserātus amantem est? 370
 quae quibus anteferam? iam iam nec maxima lūnō
 nec Sāturnius haec oculīs pater aspicit aequīs.
 nusquam tūta fidēs. ēiectum lītore, egentem
 excēpī et rēgnī dēmēns in parte locāuī.
 āmissam classem, sociōs ā morte redūxī 375
 (heu furiīs incēnsa feror!): nunc augur Apollō,
 nunc Lyciae sortēs, nunc et loue missus ab ipsō
 interpretes dīuum fert horrida iussa per aurās.
 scīlicet is superīs labor est, ea cūra quiētōs
 sollicitat. neque tē teneō neque dicta refellō: 380
 ī, sequere Ītaliā uentīs, pete rēgna per undās.
 spērō equidem mediīs, sī quid pia nūmina possunt,
 supplicia hausūrum scopulīs et nōmine Dīdō
 saepe uocātūrum. sequar ātrīs ignibus absēns
 et, cum frīgida mors animā sēdūxerit artūs, 385
 omnibus umbra locīs aderō. dabis, improbe, poenās.
 audiam et haec Mānīs ueniet mihi fāma sub īmōs.
 hīs medium dictīs sermōnem abrumpit et aurās
 aegra fugit sēque ex oculīs āuertit et aufert,
 linquēns multa metū cūnctantem et multa parantem 390
 dīcere. suscipiunt famulae conlāpsaque membra
 marmoreō referunt thalamō strātisque repōnunt.
 at pius Aenēās, quamquam lēnīre dolentem
 sōlandō cupit et dictīs āuerrere cūrās,
 multa gemēns magnōque animum labefactus amōre, 395
 iussa tamen dīuum exsequitur classemque reuīsit.
 tum uērō Teucrī incumbunt et lītore celsās
 dēdūcunt tōtō nāuēs (natat ūncta carīna)
 fronentisque ferunt rēmōs et rōbora siluīs
 īnfabricāta fugae studiō. 400
 migrantīs cernās tōtāque ex urbe ruentīs:
 ac uelut ingentem formīcae farris aceruum
 cum populant hiemis memorēs tēctōque repōnunt;
 it nigrum campīs agmen praedamque per herbās
 conuectant calle angustō; pars grandia trūdunt 405
 obnīxae frūmenta umerīs, pars agmina cōgunt
 castīgantque morās; opere omnis sēmita feruet.
 quis tibi tum, Dīdō, cernentī tālia sēnsus,

quōsue dabās gemitūs, cum lītora feruere lātē
 prōspicerēs arce ex summā, tōtumque uidērēs 410
 miscērī ante oculōs tantīs clāmōribus aequor!
 improbe Amor, quid nōn mortālia pectora cōgis!
 īre iterum in lacrimās, iterum temptāre precandō
 cōgitur et supplex animōs submittere amōrī,
 nē quid inexpertum frustrā moritūra relinquat. 415
 ‘Anna, uidēs tōtō properārī lītore circum:
 undique conuēnēre; uocat iam carbasus aurās,
 puppibus et laetī nautae imposuēre corōnās.
 hunc ego sī potuī tantum spērāre dolōrem,
 et perferre, soror, poterō. miserae hoc tamen ūnum 420
 exsequere, Anna, mihī: sōlam nam perfidus ille
 tē colere, arcānōs etiam tibi crēdere sēnsūs;
 sōla uirī mollīs aditūs et tempora nōrās.
 ī, soror, atque hostem supplex adfāre superbum.
 nōn ego cum Danaīs Trōiānam exscindere gentem 425
 Aulide iūrāuī classemue ad Pergama mīsī,
 nec patris Anchīsae cinerēs mānīsue reuellī:
 cūr mea dicta negat dūrās dēmittere in aurīs?
 quō ruit? extrēmum hoc miserae det mūnus amanti:
 exspectet facilemque fugam uentōsque ferentīs. 430
 nōn iam coniugium antīquum, quod prōdidit, ōrō,
 nec pulchrō ut Latiō careat rēgnumque relinquat:
 tempus ināne petō, requiem spatiumque furōrī,
 dum mea mē uictam doceat fortūna dolēre.
 extrēmam hanc ōrō ueniam (miserēre sorōris), 435
 quam mihi cum dederit, cumulātam morte remittam.’
 tālibus ōrābat, tālisque miserrima flētūs
 fertque refertque soror. sed nūllīs ille mouētur
 flētibus aut uōcēs ūllās tractābilis audit:
 fāta obstant placidāsque uirī deus obstruit aurīs. 440
 ac uelut annōsō ualidam cum rōbore quercum
 Alpīnī Boreae nunc hinc nunc flātibus illinc
 ēruere inter sē certant; it strīdor, et altae
 cōnsternunt terram concussō stīpīte frondēs;
 ipsa haeret scopulīs et quantum uertice ad aurās 445
 aetheriās, tantum rādīce in Tartara tendit:
 haud secus adsiduīs hinc atque hinc uōcibus hērōs
 tunditur et magnō persentit pectore cūrās;
 mēns immōta manet, lacrimae uoluuntur inānēs.

tum uērō infēlix fātīs exterrita Dīdō 450
 mortem ōrat; taedet caelī conuexa tuērī.
 quō magis inceptum peragat lūcemque relinquat,
 uīdit, tūricremīs cum dōna impōneret ārīs,
 (horrendum dictū) laticēs nigrēscere sacrōs
 fūsaque in obscēnum sē uertere uīna cruōrem. 455
 hoc uīsum nūllī, nōn ipsī effāta sorōrī.
 praetereā fuit in tēctīs dē marmore templum
 coniugis antīquī, mīrō quod honōre colēbat,
 uelleribus niueīs et fēstā fronde reuīctum:
 hinc exaudīrī uōcēs et uerba uocantis 460
 uīsa uirī, nox cum terrās obscūra tenēret;
 sōlaque culminibus fērālī carmine bībō
 saepe querī et longās in flētum dūcere uōcēs;
 multaue praetereā uātum praedicta priōrum
 terribilī monitū horrificant. agit ipse furentem 465
 in somnīs ferus Aenēās, semperque relinquī
 sōla sibī, semper longam incomitāta uidētur
 īre uiam et Tyriōs dēsertā quaerere terrā,
 Eumenidum uelutī dēmēns uidet agmina Pentheus
 et sōlem geminum et duplicīs sē ostendere Thēbās, 470
 aut Agamemnonius scaenīs agitātus Orestēs
 armātam facibus mātrem et serpentibus ātrīs
 cum fugit ultrīcēsque sedent in līmine Dīrae.
 ergō ubi concēpit furiās ēuicta dolōre
 dēcrēuitque morī, tempus sēcum ipsa modumque 475
 exigit, et maestam dictīs adgressa sorōrem
 cōnsilium uultū tegit ac spem fronte serēnat:
 ‘inuēnī, germāna, uiam (grātāre sorōrī)
 quae mihi reddat eum uel eō mē soluat amantem.
 Ōceanī finem iuxtā sōlemque cadentem 480
 ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlās
 axem umerō torquet stellīs ārdentibus aptum:
 hinc mihi Massy lae gentis mōnstrāta sacerdos,
 Hesperidum templī custōs, epulāsque dracōnī
 quae dabat et sacrōs seruābat in arbore rāmōs, 485
 spargēns ūmida mella sopōriferumque papāuer.
 haec sē carminibus prōmittit soluere mentēs
 quās uelit, ast aliīs dūrās immittere cūrās,
 sistere aquam fluiiīs et uertere sīdera retrō,
 nocturnōsque mouet Mānīs; mūgīre uidēbis 490

sub pedibus terram et dēscendere montibus ornōs.
testor, cāra, deōs et tē, germāna, tuumque
dulce caput, magicās inuītam accingier artīs.
tū sēcrēta pyram tēctō interiōre sub aurās
ērige et arma uirī, thalamō quae fixa reliquit 495
impius, exuuiāsque omnīs lectumque iugālem,
quō periī, super impōnās: abolēre nefandī
cūncta uirī monumenta iuuat mōnstratque sacerdos.
haec effāta silet, pallor simul occupat ōra.
nōn tamen Anna nouīs praetexere fūnera sacrīs 500
germānam crēdit, nec tantōs mente furōrēs
concipit aut grauiōra timet quam morte Sychaeī.
ergō iussa parat.
at rēgīna, pyrā penetrālī in sēde sub aurās
ērēctā ingentī taedīs atque illice sectā, 505
intenditque locum sertīs et fronde corōnat
fūnereā; super exuuiās ēnsemque relictum
effigiemque torō locat, haud ignāra futūrī.
stant ārae circum et crīnēs effūsa sacerdos
ter centum tonat ōre deōs, Erebumque Chaosque, 510
tergeminamque Hecatēn, tria uirginis ōra Diānae.
sparserat et laticēs simulātōs fontis Auernī;
falcibus et messae ad lūnam quaeruntur aēnīs
pūbentēs herbae nigrī cum lacte uenēnī;
quaeritur et nāscētis equī dē fronte reuulsus 515
et mātīrī praereptus amor.
ipsa molā manibusque piīs altāria iuxtā,
ūnum exūta pedem uinclīs, in ueste recincta,
testātur moritūra deōs et cōnscia fātī
sīdera; tum, sī quod nōn aequō foedere amantēs 520
cūrae nūmen habet iūstumque memorque, precātur.
nox erat et placidum carpēbant fessa sopōrem
corpora per terrās, siluaeque et saeua quiērant
aequora, cum mediō uoluuntur sīdera lāpsū,
cum tacet omnis ager, pecudēs pictaeque uolucrēs, 525
quaeque lacūs lātē liquidōs, quaeque aspera dūmīs
rūra tenent, somnō positae sub nocte silentī.
[lēnībant cūrās et corda oblīta labōrum.]
at nōn infēlīx animī Phoenīssa, nec umquam
soluitur in somnōs oculisue aut pectore noctem 530
accipit: ingeminant cūrae, rūsusque resurgēns

saeuit amor magnōque īrārum fluctuat aestū.
sīc adeō īnsistit, sēcumque ita corde uolūtāt:
‘ēn, quid agō? rūrsusne procōs inrīsa priōrēs
experiar, Nomadumque petam cōnūbia supplex, 535
quōs ego sim totiēns iam dēdignāta marītōs?
Īliacās igitur classēs atque ultima Teucrum
iussa sequar? quiane auxiliō iuuat ante leuātōs,
et bene apud memorēs ueteris stat grātia factī?
quis mē autem, fac uelle, sinet ratibusue superbīs 540
inuīsam accipiet? nescīs heu, perdita, necdum
Lāomedontēae sentīs periūria gentis?
quid tum? sōla fugā nautās comitābor ouantēs?
an Tyriīs omnīque manū stīpāta meōrum
īnferar et, quōs Sīdoniā uix urbe reuellī, 545
rūrsus agam pelagō et uentīs dare uēla iubēbō?
quīn morere ut merita es, ferrōque āuerte dolōrem.
tū lacrimīs ēuicta meīs, tū prīma furentem
hīs, germāna, malīs onerās atque obicis hostī.
nōn licuit thalamī expertem sine crīmine uītam 550
dēgere mōre ferae, tālīs nec tangere cūrās;
nōn seruāta fidēs cinerī prōmissa Sychaeō!’
tantōs illa suō rumpēbat pectore questūs.
Aenēās celsā in puppī iam certus eundī
carpēbat somnōs rēbus iam rīte parātīs. 555
huic sē fōrma deī uultū redeuntis eōdem
obtulit in somnīs rūrsusque ita uīsa monēre est,
omnia Mercuriō similis, uōcemque colōremque
et crīnīs flāuōs et membra decōra iuuentā:
‘nāte deā, potes hōc sub cāsū dūcere somnōs, 560
nec quae tē circum stent deinde perīcula cernis,
dēmēns, nec Zephyrōs audīs spīrāre secundōs?
illa dolōs dīrumque nefās in pectore uersat,
certa morī, uariōsque īrārum concitat aestūs.
nōn fugis hinc praeceps, dum praecipitāre potestās? 565
iam mare turbārī trabibus saeuāsque uidēbis
conlūcēre facēs, iam feruere lītora flammīs,
sī tē hīs attigerit terrīs Aurōra morantem.
heia age, rumpe morās. uarium et mūtābile semper
fēmina.’ sīc fātus, noctī sē immiscuit ātrae. 570
tum uērō Aenēās subitīs exterritus umbrīs
corripit ē somnō corpus sociōsque fatīgat

praecipitēs: ‘uigilāte, uirī, et cōnsīdite trānstrīs;
 soluite uēla citī. deus aethere missus ab altō
 festīnāre fugam tortōsque incīdere fūnīs 575
 ecce iterum īnstimulat. sequimur tē, sancte deōrum,
 quisquis es, imperiōque iterum pārēmus ouantēs.
 adsīs ō placidusque iuuēs et sīdera caelō
 dextra ferās.’ dīxit uāgīnāque ēripit ēnsem
 fulmineum strictōque ferit retinācula ferrō. 580
 īdem omnēs simul ārdor habet, rapiuntque ruuntque;
 lītora dēseruēre, latet sub classibus aequor;
 adnīxī torquent spūmās et caerula uerrunt.
 et iam prīma nouō spargēbat lūmine terrās
 Tīthōnī croceum līquēns Aurōra cubīle. 585
 rēgīna ē speculīs ut prīmum albēscere lūcem
 uīdit et aequātīs classem prōcēdere uēlīs,
 lītoraque et uacuōs sēnsit sine rēmige portūs,
 terque quaterque manū pectus percussa decōrum
 flāuentīsque abscissa comās ‘prō Iuppiter! ībit 590
 hic,’ ait ‘et nostrīs inlūserit aduena rēgnīs?
 nōn arma expedient tōtāque ex urbe sequentur,
 dīripiuntque ratēs aliī nāuālibus? īte,
 ferte citī flammās, date tēla, impellite rēmōs!
 quid loquor? aut ubi sum? quae mentem īnsānia mūtāt? 595
 īnfēlix Dīdō, nunc tē facta impia tangunt?
 tum decuit, cum scēpra dabās. ēn dextra fidēsque,
 quem sēcum patriōs aiunt portāre penātēs,
 quem subiisse umerīs cōnfectum aetāte parentem!
 nōn potuī abreptum dīuellere corpus et undīs 600
 spargere? nōn sociōs, nōn ipsum absūmere ferrō
 Ascanium patriīsque epulandum pōnere mēnsīs?
 uērū anceps pugnae fuerat fortūna. fuisset:
 quem metuī moritūra? facēs in castra tulissem,
 implēssemque forōs flammīs nātumque patremque 605
 cum genere exstīnxem, mēmet super ipsa dedissem.
 Sōl, quī terrārum flammīs opera omnia lūstrās,
 tūque hārum interpres cūrārum et cōnscia lūnō,
 nocturnīsque Hecatē triuīis ululāta per urbēs
 et Dīrae ultrīcēs et dī morientis Elissae 610
 accipite haec, meritumque malīs aduertite nūmen
 et nostrās audīte precēs. sī tangere portūs
 īfandum caput ac terrīs adnāre necesse est,

et sic fāta louis poscunt, hic terminus haeret:
 at bellō audācis populī uexātus et armīs, 615
 finibus extorris, complexū āuulsus lūlī
 auxilium implōret uideatque indigna suōrum
 fūnera; nec, cum sē sub lēgēs pācis inīquae
 trādiderit, rēgnō aut optātā lūce fruātur,
 sed cadat ante diem mediāque inhumātus harēnā. 620
 haec precor, hanc uōcem extrēmam cum sanguine fundō.
 tum uōs, ō Tyriī, stirpem et genus omne futūrum
 exercēte odiīs, cinerīque haec mittite nostrō
 mūnera. nūllus amor populīs nec foedera suntō.
 exoriāre aliquis nostrīs ex ossibus ultor, 625
 quī face Dardaniōs ferrōque sequāre colōnōs,
 nunc, ōlim, quōcumque dabunt sē tempore uīrēs.
 lītora lītorigibus contrāria, fluctibus undās
 imprecor, arma armīs: pugnent ipsīque nepōtēsque.
 Haec ait, et partīs animum uersābat in omnīs, 630
 inuīsam quaerēns quam prīmum abrumpere lūcem.
 tum breuiter Barcēn nūtrīcem adfāta Sychaeī,
 namque suam patriā antīquā cinis āter habēbat:
 ‘Annam, cāra mihī nūtrīx, hūc siste sorōrem;
 dīc corpus properet fluuiālī spargere lymphā, 635
 et pecudēs sēcum et mōnstrāta piācula dūcat:
 sic ueniat, tūque ipsa piā tege tempora uittā.
 sacra louī Stygiō, quae rīte incepta parāuī,
 perficere est animus, finemque impōnere cūrīs
 Dardaniīque rogam capitis permittere flammae.’ 640
 sic ait. illa gradum studiō celerābat anīlī.
 at trepida et coeptīs immānibus effera Dīdō
 sanguineam uoluēns aciem, maculīsque trementīs
 interfūsa genās et pallida morte futūrā,
 interiōra domūs inrumpit līmina, et altōs 645
 cōnscendit furibunda rogōs ēnsemque reclūdit
 Dardanium, nōn hōs quaesītum mūnus in ūsūs.
 hīc, postquam Īliacās uestēs nōtumque cubīle
 cōnspexit, paulum lacrimīs et mente morāta
 incubuitque torō dīxitque nouissima uerba: 650
 ‘dulcēs exuuiae, dum fāta deusque sinēbat,
 accipite hanc animam mēque hīs exsoluite cūrīs.
 uīxī et quem dederat cursum fortuna perēgī,
 et nunc magna meī sub terrās ībit imāgō.

urbem praeclāram statuī, mea moenia uīdī, 655
 ulta uirum poenās inimicō ā frātre recēpī;
 fēlīx, heu nimium fēlīx, sī lītora tantum
 numquam Dardaniae tetīgissent nostra carīnae!
 dīxit, et ōs impressa torō ‘moriēmur inultae,
 sed moriāmur’ ait. ‘sīc, sīc iuuat īre sub umbrās. 660
 hauriat hunc oculīs ignem crūdēlis ab altō
 Dardanus et nostrae sēcum ferat ōmina mortis.’
 dīxerat, atque illam media inter tālia ferrō
 conlāpsam aspiciunt comitēs, ēensemque cruōre
 spūmantem sparsāsque manūs. it clāmor ad alta 665
 ātria: concussam bacchātur Fāma per urbem.
 lāmentīs gemitūque et fēmineō ululātū
 tēcta fremunt, resonat magnīs plangōribus aethēr,
 nōn aliter quam sī immissīs ruat hostibus omnis
 Karthāgō aut antīqua Tyros, flammaeque furentēs 670
 culmina perque hominum uoluantur perque deōrum.
 audiit exanimis trepidōque exterrita cursū
 unguibus ōra soror foedāns et pectora pugnīs
 per mediōs ruit, ac morientem nōmine clāmat:
 ‘hoc illud, germāna, fuit? mē fraude petēbas? 675
 hoc rogos iste mihi, hoc ignēs āraeque parābant?
 quid prīmum dēserta querar? comitemne sorōrem
 sprēuistī moriēns? eadem mē ad fāta uocāssēs,
 īdem ambās ferrō dolor atque eadem hōra tulisset.
 hīs etiam strūxī manibus, patriōsque uocāuī 680
 uōce deōs, sīc tē ut positā crūdēlis abessem?
 extīnxtī tē mēque, soror, populūque patrēsque
 Sīdoniōs urbemque tuam. date uulnera lymphīs
 abluam, et, extrēmum sī quis super hālitus errat,
 ōre legam.’ sīc fāta gradūs ēuāserat altōs, 685
 sēmianimemque sinū germānam amplexa fouēbat
 cum gemitū atque ātrōs siccābat ueste cruōrēs.
 illa grauīs oculōs cōnāta attollere rūsus
 dēficit; īnfixum strīdit sub pectore uulnus.
 ter sēsē attollēns cubitōque adnīxa leuāuit, 690
 ter reuolūta torō est oculīsque errantibus altō
 quaesīuit caelō lūcem ingemuitque repertā.
 Tum lūnō omnipotēns longum miserāta dolōrem
 difficilisque obitūs Īrim dēmīsit Olympō
 quae luctantem animam nexōsque resolveret artūs. 695

nam quia nec fātō meritā nec morte perībat,
sed misera ante diem subitōque accēnsa furōre,
nōndum illī flāuum Prōserpina uertice crīnem
abstulerat Stygiōque caput damnāuerat Orcō.
ergō Īris croceīs per caelum rōscida pennīs 700
mīlle trahēns uariōs aduersō sōle colōrēs
dēuolat et suprā caput astitit. 'hunc ego Dītī
sacrum iussa ferō tēque istō corpore soluō':
sīc ait et dextrā crīnem secat, omnis et ūnā
dīlāpsus calor atque in uentōs uīta recessit. 705